



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Vita P. Balthassaris Alvarez, Societatis Iesv Religiosi**

**Puente, Luis de la  
Coloniae Agrippinae, 1616**

Pvnctvm III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43347**

mortuus est, dum in suo Officio laboraret, consumptus & exhaustus, eò quòd semper vigilans fuerit tanquam strenuus Societatis miles, cum hasta in manu, bombardà in humeris, clypeo in brachio, lorica indutus, & galea ad caput imposita. Hoc dico: quòd cùm illud Officium ad eò laboriosum fuerit superimpositum corpori ad eò debilitato, sanitati imbecilli, ob longas vigiliàs, ieiunia, verberationes, cilicia, & continuam interiorem & exteriorem passionum, ac sensuum mortificationem, quæ omnia in Officio ad eò graui & laborioso ita continuabat, vt nihil remitteret: quare intra paucos menses fuit expeditus nequaquam vt mori solent ignaui. O verba solatiij plena! ò quàm dulcem talis Patris memoriam renouant!

PUNCTVM III.

**T**ERTIO hæc talis Patris memoria excitanda in nobis est ex ijs, quæ ab alijs de eo dicenda memur, sicut ipse Sapiens dixit, hoc tertio modo renouandum esse in populo hebræo memoriam Iosifæ Regis: id enim verba illa vltima insinuant: *vt musica in conuiuio vini*: quæ est etiam pulcherrima Metaphora, quasi diceret: quemadmodum in splendido aliquo conuiuio, etiam si intentum valde sit palatum comedentium ad ciborum saporem: eosdem tamen excitat trahit quæ ad se dulcissima ac suauissima Musica: ita vt simul cibus sit palato sapidus & gratus; auribus verò musica dulcis ac iucunda: ita Sapiens volebat, vt Iosifæ memoria populum illum ad eundem cogitandum adduceret, vt sermonem de eo audire, illi esset, quasi suauissimam audiret musicam, dum

in conuiuio aliquo hilari & iucundo versaretur, Hæc igitur est tertia memoriæ ratio, quæ hæc-  
 nus fuit, & in posterum erit de Patre Balchaffare  
 Aluario in medijs colloquijs spiritualibus, quæ  
 instar sapidissimorum ciborum animas valde re-  
 creant, quæ illis vesci solent; cùm ad agendum de  
 Deo, de virtutibus, de Oratione, de Mortificatio-  
 ne, & alijs conueniunt. quanto maiori voluptate  
 afficitur aliqua ex illis animabus, quæ P. Balchaf-  
 sare non uerunt, dum de illis agunt, si in medio  
 colloquio occurrat occasio, mentionem illius  
 sancti faciendi, dicentes: quomodo ille Pater  
 hoc faciebat? quomodo hoc docebat? quomodo  
 loquebatur? mirum certè est, quanto afficiantur  
 solatio; & afficientur in posterum ex huiusmodi  
 memoria, quasi iucundissimam aliquam musicam  
 in medio splendidissimo conuiuio audirent. Per-  
 uenerat Dux ille Holofernes Bethuliam, eo ani-  
 mo, ut totam terram Israel sibi subijceret: sed to-  
 tus populus Dei, dediderunt se Orationi; ad  
 quam mutuò se exhortabantur, & ad poeniten-  
 tiam agendam: erantque illis hi sermones in ea  
 pressura magno solatio; & eos tanquam iucun-  
 dum conuiuium, quo se inuicem inuitabant, acci-  
 piebant, in quibus dum versarentur, Sacerdos He-  
 liachim cupiens maius adhuc illis solatium, &  
 animum addere, circumiuit totam terram Israel  
 exhortans eos, ut in eo, quod cœperant, constan-  
 ter perseuerarent: quibus eius verbis magnum  
 solatium acceperunt, magnaque cum voluptate  
 eum audiebant; ipse verò, ut solatium illud adhuc  
 magis auget, adiecit dicens: *i Memores estote  
 Moysi serui Domini, qui Amalec confidentem in vir-  
 tute*

*i' Judith. 4.  
 13.*

tute sua & exercitu suo, & in clypeis suis, & in curribus suis, & in Equitibus suis, non ferro pugnando, sed precibus sanctis orando deiecit, &c. Fuerunt illis hæc verba instar iucundissimæ Musicæ in conuiuio vini suavissimi exhortationis Sacerdotis Eliachim: talis itaque nobis fuit, & futura in posterum est boni P. Balthassaris memoria. Propterea enim eius ossa huc sunt allata, & manebunt in hoc Collegio; vt meritò dicere ei possimus, quod quidam Iob amicus ei dicebat: *k cum te consum-<sup>k Iob. 11. 17.</sup>ptū putaueris, orieris vt lucifer.* O corpus, quamuis videaris consumptum; o ossa, et si videamini mihi esse confraeta: viuetis tamen in nostra memoria; & splendebitis tanquam lucifer mane oriens, ex consideratione exemplaris vestræ vitæ in omnibus filiis vestris huius Prouinciæ, & in omnibus eorum successoribus. Illic videbamini esse occulta; & quasi iam dissoluta: sed vult Deus, vt hodie hîc tanquam recens lucifer compareatis. Hoc modo viuere debent hæc ossa in nostra memoria; sic lucere debent, donec vltimus ille & gloriosus perueniat dies, in quo & viuant & splendeant altiori alio modo in se ipsis; nunc lucet anima, & vt existimare licet, viuit in cælo in magna gloria. Cuius rei habuit reuelationem testis illa valde fide digna, quam paulò ante insinuavi, Sancta Mater Theresia de Iesu, quæ asseuerauit, adhuc viuente ipso P. Balthassare, & aliquot ante eius mortem annis, ostendisse sibi Deum gloriam, quam ipsi in cælo præparasset, valde excelsam. Omitto alias, tempore mortis magni huius serui Domini (quæ non defuerunt) factas; quæ simul cum ijs, quæ aliunde nouimus, & in hac concione

insinuauimus de exemplari eius vita, quæ merito faciunt nos id, quod iam dixi, existimare de gloria, quæ eius anima fruitur in cælo. Sed eius ossa nunc viuunt & splendent in memoria nostra, quæ in loculo illo mortua, & corporis oculis non lucentia manent: sed dies veniet, quæ & ipsa uiuent, & magno splendore lucebunt. quanta ea lux erit, quam hæc ossa diffundent cùm gloriâ induta resurgent gloriosa? an non de omnibus, qui se tanquam bonos ministros Domini animarum

1 Dan. 12. 3.

conuersioni dederunt, dictum est: *Qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ firmamenti fulgebunt in perpetuas æternitates?* Quid ergo de eo cogitabimus, qui tantâ curâ & sollicitudine, cum stupendo ad eum & copioso fructu id præstitit: nisi quod in illa die apparebit tanquam stella, & pulcherrimus lucifer? fruamur nos eo interim, possidentes eius ossa; uiuat, luceatque in nostra memoria, ut qui non habemus eum in loculo illo uiuentem: gaudeamus saltem, quod in eo quidem mortuum; sed in memoria nostra uiuentem habeamus. Sentiebat gloriosus sanctus Bernardus mortem Fratris sui Gerardi & cõuersus ad Deum dicebat: *Gerardum tu dedisti, Gerardum tu abstulisti: & si dolemus ablatum, non tamen obliuiscimur, quod datum fuit; & gratias agimus, quod habere illum meruimus.* Ita igitur nos dicamus: benedictus sit Deus, quod excellentem a deo virum uiuentem habuerimus; sed & mortuum restituerit

Sermon. 26. in Cant.

*in Num. 23. 10.* *in Habac. 3. 16.*

*m* *n*

*n* *16.*

*m* *n* *moriatur anima mea morte iustorum: sicut nouissima mea huius similia. n* *Ingre diatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat, ut requiescam in die tribulationis, ut ascendam ad populum accin-*  
*ctum*

*Hum nostrum*, &c. vbi sanctum hunc virum vide-  
bimus, qui suas passiones, suos sensus, suasque vo-  
luntates adeo accinctas habebat. Hæc interim  
nostra memoria reperat: vt quod eius recorde-  
mur, sit nobis suauissimorum odorum globus, fa-  
uus mellis gustatui nostro dulcissimus, musica  
auribus nostris gratissima, qua vocem illam, di-  
gnam quæ de cælo veniret, audiamus: o *Beati* <sup>o Apoc. 14.</sup>  
*mortui, qui in Domino moriuntur*: Beati enim sunt <sup>13.</sup>  
in suis animabus; & beati in suis corporibus; bea-  
ti in sepulchris; beati in suis ossibus; beati in vi-  
ta; felices in morte; felices dum vixerunt in ter-  
ra; & felicissimi dum æternis gloriæ præmijs  
fruuntur in cælo. Quam gloriam mi-  
hi & vobis Deus, &c.

\* \* \*

*Laus Deo Beatæque Virginæ  
Matri.*

INDEX